

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**Wersja sandomierska z uzupełnieniami wersji krakowskiej**

Rękopis Biblioteki Uniwersytetu w Lipsku „Albertina” 951b, k. 101v–102v

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 53

[53] De eo. Si vulneratus vir cum clamore ad iudicium deductus fuerit in facto manifesto.

Si vulneratus vir cum clamore ad iudicium decuctus fuerit in facto manifesto, et si ita [in bellicis ^a] imbecillis aut debilis fuerit, quod per tutorem ipsum querulare oportet et prolocutorem per sententiam petat, extunc [k. 102] tali modo sua procedat querimonia: “Domine iudex, si me huic vulnerato dedistis pro advocato, extunc in sententia requiro, si per iustas insidias per aliquem pati debeam, quam iure terreri [s] debeam aut sustinere, cum suam causam propter iuris exigenciam teneo.” Extunc sibi finitur, quod non. Extunc sibi petat correccionem. Cum optinuerit correccionem, tunc petat colloquium. Cum habuerit colloquium, tunc requirat, qualiter inchoare debeat per sententiam diffinitivam, ut sibi proficiat in suo iure. Extunc diffinitur [/] cum clamore. Tunc interrogetur sentencialiter, si requiri debeat de ore et os, a quo suam habeat lesionem. Tunc sibi diffinitur, quod debeat. Extunc emittuntur duo scabini et ipsis preco, aut duo viri, qui iudicio astare consueverunt, qui ab ipso solo audient, a quo sua recipit vel habuerit dampna, aut quis in eo pacis federam confregit. Extunc requeritur sentencialiter et requiri debeant circa iuramentum prestitum aut ius civitatis, quid ab eo audierunt. Tunc unus interrogatur ad dicendum, quid ab eo audierunt. Audita [k. 102v] responsiva, tunc in sententia requiratur, si profecerit, cum sibi diffinitur, quod sic, et eciam secundus et tercius interrogetur. Extunc sibi diffinitur, quod profecerit. Extunc querelam incipiat: “Domine iudex, placeat attente audire.” Tunc hic conqueritur super unum N et super N, quod ipsi venerunt intra municipal, et in eo pacem infregerunt, et ipsum vulneraverunt aut suum affinem proximum trucidaverunt, si homicidium fuerit, et ipsum spoliaverunt corpore et rebus, et pro eo iudicium petit. Extunc [/] illi ter vocantur, quando vocati per clamorem ter fuerint, tunc conqueratur ulterius et nominat malefactores, ut prius querulatum fuit. Idem faciat tercia vice. Extunc inducie vulgariter rokÿ iudicantur per noctem si tunc non comparent describantur. Sin autem comparent duellum in eis acquiri potest.

[hasła: zranienie, sąd, wyrok, skarga, sędzia, sprawiedliwość, posiedzenie, ławnik, szkoda, przysięga, prawo, zabójstwo, kradzież, zranienie, otrucie, noc, pojedynek sądowy]